
2f.



# DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



## QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sextâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXIII.*

M. CAROLO-LUDOVICO LIGER, Consiliario Medico Regis ordinario in urbe & Comitatu Altissiodorensi, Doctore Medico, Præside.

*An mutatis moribus Parisinorum, mutatâque Medicinæ theoriâ; rarior venæ sectio in morbis acutis?*

I.



MULTIPLICI ex fonte, brutis animantibus ignoto, fluit in homines innumera morborum caterva. Eadem certè in utrisque partium fabrica; eadem vitæ origo; sed diversissimum vivendi genus. Illa naturam ducem sequuntur, instinctuique numquam ferè fallaci obtemperare amant. Isti mentis sæpè effrænæ ludibrium media inter tædia, medios inter voluptatum furores, diversam à naturâ viam calcare satagunt; famem oppressam, otio velut fugacem aromatibus revocare tentant; invitosque sitis stimulos temero spirituosorum liquorum haustu compescere gestiunt. Quosdam videre est, paterna luentes vitia, malæque educationis errores, tristem, morbosamque, frugalis tamen mensæ participes, nullisque libidinibus cruciatos, vitam agere. Hinc citissima mors hominis, irrevocabili quidem naturæ voto accessenda, prudentiori tamen regimine removenda. Undè tàm longa prosperaque avorum nostro-

rum vita. Improbis laboribus firmabant artus ; educatio physica aggreſtior, rara ſed fervida venus, cui non niſi ab ephebis egreſſi juvenes litabant ; fidi adſtabant menti ſatellites, tranquillitas, gaudium recteque facti conſcientia. Famem optimis ſaturandam alimentis imperabat natura ; ſitim aquoſo latice extinguendam jubebat neceſſitas ; bacchoque rara aut parca uni debiles offerebant ſacrificia.

Infinita quidem arte arceſſita, oppugnat hominem malorum legio, plurima tamen ex ipſâmet naturâ decurrunt ; undè aër unicuique ſpirandus, pro illius diatheſi, hominiſque temperamento, varia fert incommoda ; undè ſub fallaci benignitatis ſpecie ludunt ſæpiſſimè alimenta & tantas in corpus edunt ſtrages ; ſic plurimi chronici, ſic plurimi acuti olim viguêrê, nunc vigent, & in æternum vigebunt ; lenta in illis ruina, promptior in iſtis, qui pendent à naturâ fervidiori & ſenſibiliori, cujus æſtus mitigandos medicina elapſi proximè ſæculi ſuſcipiebat, maximè repetitis venæ ſectionibus, quas nunc prohibet Pariſiis, diverſa hujus urbis incolarum diatheſis diverſaque theoriæ medicæ ratio.

## I I.

HOC eſt in Medicinâ axioma, variam pro vario temperamento, variis moribus, vario regimine etiàm in eodem morbo, inſtituendam eſſe curationem. Oculi ergò injiciantur in poſterioris ævi homines quantum ab iis qui nunc vivunt, diſtabant ! Tunc aëre puro & aggreſti, medios inter ruris labores quiſque nobiliſſimus etiàm fruebatur. Simplicibus dapibus onerabantur menſæ ; nondum ab inferis eruta, tantopere apud nos decantata gulæ irritamenta ; inflammabiles & innumeri liquores, quos non immeritò totidem venena rectè appellarim, Proſperâ tunc latebant ignorantiâ. Mars & Triptolemus, alternâ vice Gallorum exagitabant artus. Cum lunâ ſol non mutabatur. Laſſos frigidâ ſub umbrâ recipiebat Morpheus. È ſomno recreatos, diei portas aperiens aurora, è lecto excutiebat. Amorem advocabat, propagationis naturæque vota explendi neceſſitas.

Chymicum prorſus apud Medicos evertebatur ſyſtema, ipſiùs ruinis ædificabatur mechanicum. Longè à ſcholis fugiebat exul Helmontius ille, tantoperè de medicinâ meritus, meliorique ſorte dignus. Sæpiſſimè fallacibus Malpighii, Rhuiſchii fretus injectionibus, novam ſtabilierat theoriam Boerrhaavius omni laude dignus. Vaſculoſum integrum ipſi videbatur corpus. Naſcentes ſemper illi occurrebant obſtructiones. Inflammatus ubique ſe ſe offerebat ſanguis. Circulationis difficultate obſidebantur vitalia œconomiæ viſcera. Falſiſſimum, hoc theoriæ jam nobis cognitæ pignus, ſublimiori ſui ingenii robore deffenderunt Chiracius & Hecquetius ; numerantque inter præſtantiſſimos, hujus temporis viros fautores quam acerrimos.

## I I I.

ULTIMO proindè ſæculo, appetitus intenſior, digeſtio facilior ; major ſucci nutritii copia, uberiori fluctu decurrebat purpureus latex, vividiori phlogiſto exæſtuabat, calor ubique diſſeminabatur. Culta magis gymnaſtices, firmior proindè corporis tractus, ſtrictiorque illius compages : vigoreque freti hujus temporis homines, exercitiis quæ minùs probat natura ſæpiſſimè indulgebant ; undè tàm frequentes morbi acuti, tàm periculoſi, undè in auxilium tàm repetitas ſanguinis miſſiones advocabat Medicina.

Diſrumpenda juxta theoriam vaſa videbantur ; hinc ſanguinis effuſiones Me-

dicorum oculos quasi percellebant; ejusdem pars crassior, in emissione erumpere videbatur; major serosæ copia juxta eos accedebat. Vigebant tunc temporis multum Revulsio & Derivatio; ubique occurrebat plethora; undè cruoris jacturâ cavebatur vasorum disruptio, procreabatur retropulsus, minuebatur plethora, pars inflammata serosâ diluebatur parte, sic facilior circulatio, sic impedita obstructio, inflammatioque in eorum mente ejus sequela, sic demùm detumescebat acutorum impetus.

## I V.

SANGUINEA illa praxis feliciter obsolevit. Hanc è foro Medico expulsionem jubet, mutata Gallorum diathesis, mutataque Medicinæ theoria; olim ingenii soliûs fructus, nunc autem certissimum experientiæ monumentum. Tunc temporis aër impurus ferè ubique spiratur; veterno torpet mens; languidis somni amplexibus plusquam mediâ vitæ parte manemus circumvoluti. Vires consumit venus nimis exculta, ipsiûsque in sanctuario haustum sæpissimè venenum, tristis usque ad mortem comes & fatalis hereditatis pignus, lentâ tabe corpus depascit. Dilaceratur mens ab innumerâ libidinum cohorte, undè debilissima evadunt corpora; ambitione, invidiâ, mœrore, pungentibusque conscientiæ stimulis tabescunt.

Viget nunc irritabilitas splendenti veritatis luce micans; viget irritantium systema longo experientiæ tenore confirmatum. Dominatur in plerorumque Medicorum mente sensibilitas tanta in œconomiâ animali phœnomena in statu tùm naturali, tùm morboso indigitans: numero infinitas vasorum successiones rejecit instructa meliùs theoria recens; obstructionis, inflammationis causam, apud ultimi sæculi Medicos tantopere decantatam abnuit. Non à solo vasorum motu, apud hujusceævi practicos pendet calor. Non tam valet plethoræ vox, nec adeò pertimescendi illiûs effectus. Nunc ex prætiosissimis antiquissimorum Medicorum cineribus exsurgit crisium doctrina, in ulteriori ætate ferè neglecta, venæ sectionibus non raro deturbata. Hinc sæpissimè irritantium vim sopit hodierna praxis, solis naturæ viribus, sanguinis jacturâ non raro debilitatis. Undè si nimia febris, adhibet humectantia, refrigerantia, præmissis tempore & loco quibusdam tantum venæ sectionibus. Si è contra nimis exiguus febris impetus, excitantia, stimulantia suadet. Undè plethoræ spurios effectus sistit incrassantibus, refrigerantibus, opiatis. Undè calorem compescit evacuantibus, viscosis, diluentibus, balneis calidis. Unde vesicatoriis, cauteriis, specificorum quorumdam medicamentorum ope revocat suppressas evacuationes quas promovit sive natura juxtà leges solitas, vel insolitas, sive artis auxilium. Undè tàm sæpè horrendos furores, tumultuantisque sanguinis impetus coercet narcoticis.

## V.

COMPARATIS hominum hujus & ultimi sæculi temperamentis, patet cur hi copiosissimam sanguinis jacturam absque detrimento ferrent, illi verò tantùm ex illâ detrimentum subeant. Quarè ex frequentibus venæ sectionibus robur adipisci potuerit systema Boerrhaavianum; nuncque rejiciatur. Nostra verò sententia cum antiquorum opinione consonat, undè tàm parcus in mittendo sanguine Hippocrates, in regione calidissimâ tamen Medicus. Sic divo Seni adstipulatur Ballonius præstantissimum hujus Scholæ decus. Sic apud famigeratissimos hujus urbis Practicos tantum deferbuêre venæ sectiones. Vis vitæ maxima, non frequens, sensibilitas vividissima, plethora rarissima quidem, solummodo eas exigunt. Sic repu-

diantur omninò emissus usque ad animi deliquium sanguis, nec non bisquintuplex, sextuplex, decima etiàm venæ sectio, quæ apud infantes, senesque ferè est insolita. Non objiciatur varios non esse utriûsque sæculi mores. Objectionem repellet instituta nostræ juventutis cum senectute comparatio. Injiciantur oculi in heroum nostrorum tabulas genuinis firmos artus, coloribus exprimentes. Attendatur ad varium regimen à quo varia pendet diathesis.

Non tandem opponatur, novam theoriam falsis inniti principiis. Verissimam demonstrat experientia, evincunt causæ, symptomata, variorumque acutorum morborum curationes. Quid plura, quotidianæ praxi suffragium concedamus. Infelicissimi maxime repetitas, in ultimo sæculo celebratas, venæ sectiones sequuntur exitus. Natura verò vires, potiùsquam debilitatem, à debitis tantummodo accipiens, ex variis morborum acutorum certaminibus, victrix emergit. Undè ergo cum ex unâ parte pro nobis militent experientia, antiquissimæ Medicinæ consensus, theoria, certis quantum fieri potest innixa principiis; ex alterâ verò mutetur temperamentorum ratio, olim vivida, nunc ferè iners. Nihil impedit quominùs concludatur:

*Ergò mutatis moribus Parisinorum, mutatâque Medicinæ theoriâ, rarior venæ sectio in morbis acutis.*

## DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

*M. Hugo* GAUTHIER, *Consiliarius Regis Medicus.*

*M. Ludovicus-Guilbertus* BOYROT DE JONCHERES.

*M. Carolus* SALLIN.

*M. Simon* VACHER, *Regis exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.*

*M. Cosma-Augustinus* LÉZURIER, *Scholarum Professor designatus.*

*M. Nicolaus* JEANROY, *Bibliothecæ Facultatis Præfectus designatus, Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socius honorarius.*

*M. Jacobus* VERDELHAN, DES MOLES, *antiquus Serenissimi Principis Condæi Consiliarius Medicus.*

*M. Carolus-Ludovicus* LIGER, *Actus Præses.*

*M. Joannes-Stephanus* GUETTARD, *Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socius, Censor Regius & Historiæ naturalis Musæi Serenissimi Ducis Aurelianensium Custos.*

Proponebat Parisiis JOANNES-MATHÆUS DE FRASNE, Sequanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor.
A. R. S. H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.

---

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1773.